

Die
ss

not

#

M. IO. PETRI MILLERI

SCHOLAE HELMSTAD. RECTORIS ET COENOBII MARIENTHAL. SVB-PRIOR.

4

DE

C A T E C H E T I C O
VETERIS ECCLESIAE
DOCENDI GENERE

P R O L V S I O

QVIA

A D ORATIONES ALIQVOT AVDIENDAS
P A T R O N O S E T F A V T O R E S

QVAM POTEST HONORIFICENTISSIME

I N V I T A T .



HELMSTADII

TYPIS EXSCRIBEBAT MICH. GÜNTHER LEVKART. CIJIOCC LI.

4

G A L E C H E T I C O

A U G U S T I N U S

P O T T H A U S

S Y C O M

A U G U S T I N U S

B U L L A C O M M O D I

A U G U S T I N U S

B U L L A C O M M O D I

A U G U S T I N U S

B U L L A C O M M O D I

A U G U S T I N U S

B U L L A C O M M O D I

A U G U S T I N U S

B U L L A C O M M O D I

A U G U S T I N U S

B U L L A C O M M O D I

A U G U S T I N U S

B U L L A C O M M O D I

ERKLÄRT 1771

IN DEN DRUCK GESETZT VON FRIEDRICH WILHELM THOMASSEN



Definivit nuper nova, quod scimus omnes, lege, CAROLVS, DVX BRVNOVI- CENSIVM et LVNEBVRGENSIVM SERENISSIMVS, rudiorum in hac civitate nostra, publicam in disciplina IESV CHRISTI institutionem, quam *Catechetica* vulgo appellare solemus. Novum hoc antiquæ pie- tatis PRINCIPIS edictum, quod jam ma- gnos, lantibus bonis omnibus, fructus extulit, majores etiam, propter curatam venerandorum no- stræ ecclesia doctorum assiduitatem promittit; dignum mihi est visum, quod cum veteris ecclesiæ disciplina suo quodam jure conjungeretur. Habet id nimurum DOMI- NVS noster, idemque pater patriæ *indulgentissimus*, singu- lare, ut veterum, de utraque republica præclare merito- rum, Principum, ornamenta, novis, iisque suis, in dies exorneret, & tanti herois persona dignissimis, virtutibus. Cu- jus rei inter nos cum eximia & multa exempla exstant, tum vero illæ, de alendis honeste, & sine publicæ priva- taeque rei incommodo, pauperibus, omnium jam regio- num laudibus leges concelebrantur. Atque has ipsas, an- te annum jam, & quod excurrit, quum Gcettingæ essemus,

A. 2.

illa-

illustrandas, ex antiqua fratrum pietate, nobis quidem sumfimus. Iubebimus etiam, quidquid illud est lucubrationum nostrarum, in publicam prodire lucem, simulatque per alias rationes nostras, justum suum habere habitum eas censemus. Iam vero de veteris ecclesiae catechisatione breviter exposituri, ea, quæ in tot veterum & item recentiorum, de illa sparsim leguntur, libris, curate distineteque trademus. Dicemus primum nonnulla de ipsa Catechisatione; quo facto, ibimus ad *Catechumenos*, quorum magistros, *Catechetas* in via salutabimus; his cognitis, libros nonnullos *catecheticos* subjiciemus, reliqua capita suo quaeque loco leviter tantum attingemus.

Quod ad vocem *Catechisationis* attinet, nemo non videt, suos illam a Græcis natales reperere, apud quos verbum *κατηχεῖν*, de soni excitatione, aut etiam facta ex loco quadam repercussione, adhibetur. Deinceps vero, ut sit, hoc nomen, ad illud sermonis genus est translatum, quod de doctrina quadam graviori inter duos pluresve instituitur, quorum alter doctoris, discipuli alter, personam sustinent. Quam docendi rationem, veterum philosophorum nonnulli, nominatiū PLATO atque SOCRAΤΕS, maxime vero Christiani doctores, sequuti sunt **).

Miror autem, qui factum sit, ut, quos vidi, fere omnes,

*) Multi copiose satis de Catechisatione veterum exposuerunt. Primas inter illos partes tenent illi, quos indicat b. BUDDEVS in *Hag. Lib. posterior. C. I. §. V. p. 305. ff.* Nemo autem copioſius hunc locum tractauit D. GREGOR. LANGEMACKIO, in *Historia Catechetica. 1729. 8. v. omn. b. 10. BENED. CARPOVII. Theologi summi, Differt. ad Augustinum de catechisandis rudibus* in Vol. Diff. XIX. p. 857-923.

**) V. E. C. CAR. SIGONII de dialogis vet. Diff. Venet. 1562. MORHOF. POLYH. L. II. c. VIII. §. 29. p. 412.

omnes, grammaticam vocis originem ita presserint, omnem
ut catechesin mutuis quaeſtionibus, & respofionibus, non
vero potius ſimpli et accommodato genere abſolvi
putaverint. Quare; quum in N. F. vox *κατηχεῖν* occurrat varie,
(v. 1. Cor. XIV. 19. Gal. VI. 6. Luc. I. 4. Act. XVIII. 25.)
nequetamen interrogando C H R I S T V S ejusque legati audi-
tores fuos legantur instituisse, haec quidem res adeo eos
habet ſollicitos, ut huc & illuc diſcurſantes anquirant ejusmo-
di dialogos. Ex me vero, quod ſi ſcificitarere, catechiza-
veritne (ſit venia verbo commodo!) catechizaveritne
Chriflus cum diſcipulis nec ne? Quidni vero? tum ego qui-
dem exciperem. Tu autem, tibi oſtendi ejusmodi collo-
quia poſtulares: at ego ſi me premis, habeo, qua oſtendam.
Evolve Matth. XVI. 13-17. Io. III. 1-22. IV. 7-26. Plu-
ra exempla nihil eſt, quod huic arceſſamus: noſti enim, quan-
ta cum cura I. C. omnes inſtruixerit. Itaque, quando reſ il-
lius glorioſe geſtas attente ſpectamus, tum vero illud acci-
dit, ut dubitemus, utrum diuinam magis in ſententiārum
ejuſ gravitate ſapienſiam, an vero potius in ſermoniſ ſim-
plicite in credibilem demirari *φιλανθρωπίαν* nos oporteat.
Adeo id ſua non indignum juſdicabat maieſtate, D E I filius,
ideoque generi noſtri amantissimus, ad iñfimā hominū
fortis ingenium captumque ſe demittere, ut non mo-
do vulgari ſermonē, verum etiam imaginib⁹, cuiunque
notis, uti maluerit, quam vel levifimā ſapienſiæ, hu-
mana majoris, laudem reportare. Prater hæc, illos, quoſ
in primis myſteriorum fuorum cognitione delectari cogno-
ſebat, familiari colloquio, amicorum iNSTar, erudire, do-
mos eorum ingressus, pro incredibili ſuo, quo pias in men-
tes studio ferrebat, dignatus haud unquam fuit. Quare,
quaſto ſublimius hoc exemplum cenſendum eſt, tanto
ſuo

quo quemque jure perfectiorem doctorem habere debemus, quo proprius ad decus illius atque splendorem accesserit. De Legatis Regis nostri Iesu non est, quod singulatim exponam. Quem enim fugit, summa eos contentione atque constantia innocentis Domini vitam & muneric gerendi formam expressissime? Act. XX. Quzenam vero capita a divinis his doctoribus ad catechetican institutionem relata fuerint, multos video exploratum ivisse, compendium quoddam catecheticum Hebr. VI. 1. videntes *) Sed quid ad conjecturas dilabimur? Habeimus summam sermonum, legimus exempla epistolarum eorum, et doctrinam illos suam ad ingenia erudiendorum accommodasse sapienter, non ignoramus. Neque acrius cum iis pugnabo, qui *Symbolum*, quod vocamus *Apostolicum*, primæ catecheseos exemplar esse tuentur. Nemo enim non videret, brevem & concinnam illud summam esse præcipuum dogmatum christianorum, quamquam neque verba, neque ordinem eorum, post *Petrum Kingium*, Domini nostri legatis quisquam facile adscribere hodie audeat.

Accedamus jam ad ea, quæ veterum, post Apostolos, ecclesiæ doctorum, in imbuendis disciplina Christi rudiorum mentibus, labores illustrare quomodo cuncte poterunt. Atque de his generatim illud notasse, nostra hic, opinor, intererit, proximam quamque Apostolis aetatem castæ illi simplicitati maxime studuisse, magis contra remotiores ab istis doctores tanto quemque minus, quanto citius nescio quæ reconditæ sapientiæ aura lumina ecclesiæ afflaverat. Qui vero ex Iudæis cives Regis humani generis sancti fuerunt, præter ceremoniarum avitarum pertinacissimum studium, *Cabbalæ* suæ mysteriis limpidas cælestis fontis aquas turbaverunt.

*) v. omnino S. V. IO. BENED. CARPOVII, academiæ nostræ ornamenti, S. Exercit. in Epist. ad Hebr. d. l. p. 246. seq.

runt. Quod cum post Apostolorum ex hac vita discessum liberius in dies accideret, fieri non potuit, quin ex his doctorum scholis ad catecheticas sensim aliquid sensimque transiret. Raro enim satis cautum est mortalium ingenium, ut ea non omni modo longe lateque diffundat, ex quibus tantum laudis sperat, quantum in reperiendis molestiae persensit. Hinc doleas, in istis libris, de quibus postea videbimus, simplici & decoro veritatis habitui subtile quorundam ingenium suas ubique, temerius dicam, an imprudentius? lacinias assuisse. Cave tamen, lector, ne id vitii, invito, scribentis hæc, animo, omnibus tribuas, quotquot primam pietatis christianæ formam in rudibus mentibus describere, pleno laudis vera studio, conati fuerunt. Cæci enim suissent cordati adolescentis ecclesiæ paedagogi, id nisi probe perspexissent, providam nutricularum curam, imitandam sibi esse, qua, ut ciborum fastidium propulsent a puerulis suis, frustaque probe communita in succum convertantur & sanguinem tenelli corporis, unum post alterum, suavi mora, & voce caro ori insinuare jucundo admodum spectaculo cernuntur.

Illustrabimus hæc illustri quodam loco ex *Constitutionibus Apostolicis*, CLEMENTIS ROMANI nomine superbientibus, desumto. Latina tantum verba huc transcribemus, ne qua operis peccandi locum faciamus. Qui ad doctrinam pietatis instruendus est, erudiatur ante baptismum, in scientia de ingenuo, in cognitione de filio unigenito, in persuasione certa de Sp. S. Discat creationis diversæ ordinem, providentia seriem, variae legislationis tribunalia. Erudiatur, quare mundus sit factus, & cur mundi civis homo constitutus sit. Agnoscat naturam suam, quemadmodum sit. Doceatur, quomodo Deus improbos aqua & igne pu-

punierit; sanctos vero per singulas etates honore & gloria decoraverit. Qui autem manus ei imponit, adorat Deum, universorum dominum, gratias agens pro creatura eius; quod misericordia filium suum unigenitum, ut salvet hominem, deletis iniquitatibus, utque remittat impietas & peccata, & purget ab omni inquinamento carnis & spiritus. Post vero gratiarum actionem hanc, (postquam sacerdoti ritu fidelibus I. C. adscriptus est,) doceat eum de Domini incarnatione, & de passione ejus, resurrectione ex mortuis, & assumptione (in gloriam patris.)

Varia in illustri hoc cimelio servabunt intelligentiores, quae non item pueri in faba reperirent. Illud vero in primis facile observabunt, magna veteres circumspectio-ne in communicandis, cum novis discipulis, mysteriis christianis usos fuisse. Scilicet ex legibus discipline arcani ea tantum coram promiscua auditorum concione explicabant, a quibus communis non abhorret ratio. Triplex autem universim sacri hujus silentii in antiqua ecclesia erat ratio *). Alia enim erant praecepta, quae generatim omnes, a sacrificiis suis abhorrentes, celabant; alia, quae obiter tantum in publicis sermonibus attingebant, δόγματα: quibus a sublimibus locis mox avolabat oratio, solemini cantilena: ιωαννοὶ μεμνηνέοι, norunt initiati; **) alia denique, quae Catechumenis committi tuto posse, mysteria, negabant. Quia in re, certus sum, nemo aequus offendet, quod ab aequi-

ta.

*) Consule, nisi grave est, b. CHR. KORTHOLTE diss. de Silencio S. Kiloni 1689. & M. IO. CHR. AVENARII Diss. de μυστηρίου φιλο. Lipsi. 1711. cf. cel. KEVFELLI Progr. de orat. Dom.

**) CICERONEM volutanti forte fortuna commodus sese locus offert Tusc. Quæst. L. I. Quære; quorum demonstrantur sepulcra in Gracia, reminiscere, quoniam initiatu, que traduntur mysteriis, cum denique, quam hoc late pateat, intelliger.

tatis via recedat, qui quam sublimi loco cælestis veritas, anticipi vero, res Christianorum publica, ut tum erant tempora, posita fuerit, judicio acriori expenderit. A fastu enim abesse debet animus, submissus contra et docilis, seque dejiciens, qui in abdita hæc & declivia sine damno descendens est. Quare recte omnino veteres I. C. discipuli ea texerunt profanis mentibus, quæ perverse intellecta materiam calumniis, & odio pabulum præbere cernebantur, quod vel ex MINVCIO FELICE, ex recentioribus, KORT-HOLTI & HVLDRICI gentili obtrectatore intelligitur. Quae vero speciatim a Catechumenis ignorari, consultius ducebant veteres, ea ad pauca hæc capita revocari possunt. I) Eos, nefas putabantur, interesse sacro ritui, quo homines aternæ salutis fonte tinguntur. Arcebantur II) a ritibus in confirmatione initiatorum, quæ unctione perficiebatur, itemque in inauguratione personarum ecclesiasticarum, adhibitis. Neque III) ad preces publicas (s. Liturgiam) pro energumenis, pænitentibus & fidelibus, easque excipientem Excharistiam, audita semel Diaconi voce: *ite, missa est,* adesse illis licebat. Alia vicissim erant, quæ Audientum tantum ordo ignorabat mysteria, quale illud de SS. Trinitate; et, quod merito mireris, ne symbolum quidem apostolicum, aut orationem dominicam mandari ab his memoriarum patiebantur, quod nefas putabant esse, Deum ab illis patrem suavi filiorum voce salutari, qui ante mali genii potestati essent eripiendi. Cum his vero actum fuisse iniquiūs, nemo facile dixerit, qui cogitaverit, ne PYTHAGORAM quidem, hominem sapientissimum, incertæ fidei ac constantiae discipulis, sapientiam suam prius enarravisse, quam de probitate eorum certis fuerit argumentis edoctus. Immo sua quadam utilitate nobis sese commendat hoc silentium.

tium. Præmio enim rerum tantarum cognoscendarum proposito, quotus quisque erat erediore paullo natura, qui visis, per velum leviter sublatum, tantis rebus, ad summam quamque industriam non egregie excitatus fuisset?

Sacra vero inter hæc silentia, serio illis ea explicabant, quæ de *Deo uno*, de salute æterna per *Christi* merita, cet. scire Christiani ad unum omnes debent. Illudque in primis summa cum cura providebant, ut a superstitione pristina liberati, veræ pietatis amore toti occuparentur. Quem in finem sanctorum hominum vitas animis eorum proponebant, & eos juxta libros legere jubebant, qui pleni sunt præceptis virtutis.

Iam age, nisi grave est, *Catechumenos* iustrabimus, elementaris illos disciplinæ alumnos. In quibus in classes suas tribuendis eam sequemur hic sententiam, quæ, ut pluribus veterum testimoniis nititur, ita etiam rei ipsi maxime conveniens esse videtur *). primus autem, per quem ad militiam sacram fuit adscensum, gradus, audiendum erat, quos Græci ἀκαδημίες vocabant, quod, juxta quosdam, copia illis facta fuerit sacras orationes audiendi. Nos vero eorum, quæ supra de arcani disciplina dicta sunt, memores, eam potius ob causam appellatos ita fuisse, existimamus, quod, quum interrogari de rebus divinis nondum potuerint, auscultare maxime iis, quæ proponebantur, fuerint iussi. Id quod eis proprius a vero distare videbitur, qui cogitant, οὐδέποτε eos in Concilio Neocæsariensi Can. V. appellari, quod οὐ τῆς ἐκκλησίας in privatis doctorum ædibus tantum instruebantur.

Pro-

*) v. post SVICERI *Theſſ. eccl. Ios. BINGHAM orig. eccl. vol. IV. L. X. c. II. p. 15.*

Proximus ab his gradus fuit *Competentum*, qui inde a dominica palmarum sacræ civitatis jura a civibus Christi dari sibi, supplices petebant, γοναθιστες ideo appellati, ob maiores vero in christiana sapientia factos jam progressus τελεωτεροι nuncupabantur. Horum constantiam mirum in modum variis iisque difficillimis exercitationibus, per hebdomadem magnam, agitabant veteres. *Suis enim nominibus datis*, inquit AVGVSTINVS de Fide & oper. c. VI. (& τοις τῶν ζωτῶν δυπτύχοις inserti) abstinentia, jejuniis, exorcismisque purgabantur - - Ipsis diebus, quibus catechizabantur, exorcisabatur scrutabantur. Testatur idem IVSTINVS MARTYR: quicunque persuasi fuerint & crediderint, vera esse, que a nobis traduntur, & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes, & petere a Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis una & orantibus & jejunantibus. Ita scilicet in omni vita majus pretium christiani hominis juribus statuere didicerunt, quanto pluris ipsis eorum comparatio constiterat. Qui vero in his variis pietatis exercitiis tales se praefiterant, quales eos esse decebat, qui novis potius virtutum ornamentis, quam nominibus suis, rem Christianorum amplificare debebant, hi inquam, probata toti coetui probitate sua, Elec̄tis adseriebantur. Quo facto, sine mora, sacro isto lavacro a sorribus purgati, Christoque rite dedicati, civitate sacra donabantur. Quam ob caussam proprium huic familiæ τῶν βαπτιζόμενον, seu φωτιζομένον nomen tribuitur. Atque hi sunt gradus isti, per quos ad fidelium coetum in antiqua ec-

B 2

ec-

* Apud Iudeos, teste MAIMONIDE P. II. I. Ḥilch. אסרו בוי c. 13. n. 14. accurate quefitti sunt Proselyti, num forte spe divitiarum, dignitatum, aut desiderio conjugis sacra eorum amplectentur. Exaggerabaturque ipsis jugum legis rel.

ecclesia per ventum fuit. Quorum in quo cunque si quis certa bona mentis specimina ediderit, omnes numeros veritatis & pietatis habere, atque adeo *τέλεος* judicatus fuit.

De tempore, instruendis rudibus tributo, vix opus est, ut aliquid præcipiam. Quis enim dubitet, quin veteres pro sua, qua erant prudentia, & severiori, quam nostra ferre solent tempora, disciplina, illud non tam ex diemnum numero, quam porius ex cognitis cuiusquam candidatorum progressibus definiendum putarint? v. *Can. II. Concil. Nic.*

Iubet jam grata nos pietas, ut memoriam illorum, qui de catechumenis bene olim fuerunt meriti, lectoribus renovemus. Horum vero nomina recitasse, satis erit laudasse viros, aliis ex rebus satis jam superque laudatos. Inter omnes vero Christianorum scholas nulla majoribus res fulget luminibus, quam *catechetica* illa, ab ipso, ut fertur, S. MARCO, instituta, & industria ORIGENIS ad summum laudis fastigium evecta. Accipe, lector, nomina, tam scholarum, quam catechetarum ipsorum I. SCHOLAE ALEXANDRINAЕ sidera fuerunt: ATHENAGORAS, PANTAENVS, CLEMENS, ORIGENES, HERACLAS, DIONYSIVS, ATHENODORVS, ACHILLAS, PIERIVS, THEOGNOSTVS, SERAPION, PETR. MARTYR, MACARIVS POLITICVS, DIDYMVS, RHO-DON. II. ANTIOCHENAE: IGNATIVS, THEOPHILVS. III. CORINTHIACAE: DIONYSIVS. IV. MEDOLANENSIS: AMBROSIUS V. CARTHAGINENSIS: OPTATVS. AVGUSTINVS. VI. *Cesarea in Palestina:* PAMPHILVS. Nec MACRINAE nomen ut plane fileam, facere possum: Hanc enim instillasse sibi christianam

nam sapientiam, grato animo profitetur **BASILIVS M.**
epist. LXXV. Scilicet id datum erat negotii matronis iſis,
qua Diaconissæ vocantur, ut sui sexus κατηχεμένων mentes
præceptis **CHRISTI** imbuerent, omnemque earum, vere-
cunde admodum, curam in ſeſe fufciperent *).

Alienum id ab hoc loco minime eſſet, libros veterum catecheticos commemorare. Verum nullus eo nomine dignus, ante Sæc. IIII. prodiiſſe in lucem videtur. Vulgo tamen inter eos referuntur 1) *Hermæ paftor.* 2) *Epiſtola Ignatii ad Magnesianos.* 4) Διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων, itemque 4) aliaꝝ quatuor διδακτικὰ, Petri, Clementis Romani, Barnabæ, Hippolyti (v. GRABII *ſpicil. Patr.* T. I. p. 55-71. ITTIG. *de Patr. apóst.* p. 171. FABRIC. *Cod. Apocr.* N. T. P. II. p. 811.) 5) Clementis Alex. ὑπερτυπώσεως. 6) *Origenis IV. libri περὶ ἀρχῶν* 7) Eusebii ἐπιτομὴ σεργεωτικῆ. 8) *Evronii Catechesis* 9) *Catechesis magna THEODORI STVDITAE* 10) *Laſtantii libri institu- tionum*, 11) *Damascenus de fide orthodoxa.* 12) *Augustini enchiridion de fide, spe & charitate.* 13) Clem. Alex. *Pedagogus.* 14) *Theophilii κατηχητικὸς Σίβλιος*, qua vero deſideramus. *cet.*

De ſumma, qua ex catecherica institutione in puerilem maxime atatem, dein vero in omnem christianam rempublicam redundat, utilitate, nemo eſt, qui dubitet. Quid? quod eo progreſſi ſunt nonnulli, ut illam iſis, qua apud nos magno cum fructu habentur, ſacris orationibus, multis de nominibus anteferendam pronuntiarint. Qua in re, ſi quis arbitri partibus fungi dextre

B 3

vel-

*) v. KRAVSII *Diff. de catechetis ver. eccl.* multi vero ab eo omiſſi ſunt, quos, aliunde arceſſivimus.

vellet, illud in primis, si quid ego video, exquirere debet, utra docendi ratio indoli plerorumque, qui ad cælestia ducendi sunt, altera existat accommodatior, utra jucundior etiam, denique, quæ ad excitandam alendamque pietatem aptior. Sed, quod dixi, nolo palmam reddere dubiam viro illi eximio, qui ante me iam hunc lodi multa cum laude tractavit *). Quid multa? infensissimus quisque rei christiana hostis maxime intellexit, quantum roboris ad illam tutandam insit in *Catechetis*, quasi militiae christiana promachis, quum ex eorum palæstris, tamquam ex equo Trojano, milites subinde prodirent fortissimi. Id enim nisi perspexissent, non video, quare iniquiores in hos, quam in ceteros Christianos fuerint. Vidit tamen, his adhuc melius, Hipponensis præsul, AVGVSTINVS, atque is, quo majorem post Apostolorum memoriam heroem Christianus orbis non vidit, LVTHERVS, επίκλεντος cuius aurei libri a plerisque hodie fere negliguntur. Is enim aliquoties catecheticam docendi rationem eximiis laudibus & rationibus commendavit **).

At-

*) Scil. GOTTER, CHR. ROTH in Diff. de *Institut. catech. concinibus S. præstantiore* 1731.

**) AVGVST. de *Catechiz.* rud. CXV. megalander vero LVTHERVS T. II. opp. Ien. Germ. fol. 524. Vater und Mutter sind in ihren Häusern Bischöffe, Pfarrer, Doktores, Käyser und Herrn. Darum soll ein Vater seine Kinder wie ein Richter strafen, lehren wie ein Doktor, ihnen vorpredigen wie ein Pfarrer und Bischoff. Ebne nun ein Vater solches, so kann er vor GOTT besiehen, thut ers nicht, so wird er seinen Lohn wol bekommen. Ceterum colophonem dissertationi imponamus commendatione S. V. SEIDELII *Anweisung zur Catechisation*; cuius præcepta sequi, ad absoluti Catecheta laudes est adspirare.

Atque hæc sunt, quæ ne mutus esse, meorum inter voces, videar, præfari volui, & quasi pro ludere exercitationi isti dicendi, quæ in palaestra nostra ab aliquibus ex cœtu meo, D E O bene juvante, insituetur. Postquam enim pridie, omnes scholæ nostræ discipuli P A T R O N I S D E V E N E R A N D I S industria sua specimina ediderint, a. d. XXV. Sept. ab hora X. hoc ordine declamaturi sunt juvenes, in spem publicam adolescentes

IO. RVDOLPH. ALBERTI, *Helmſt.* ex sancta apud nos, novo edito, Catechisatione, summa SERENISSIMI DVCIS nostri, salutis publicæ curam demonstrabit, & demissæ celebrabit orat. Latina.

IO. PE. KVHLMEYER, *Helmſt.* Personam tractabit pastoris cuiusdam Reformatorum in Francogallia cœterus, qui pro toto grege supplex Regi factus, gallico sermone mitiorem sententiam, atque lata nuper est in *Hugenottas*, exorabit.

FRID. HENR. IAC. HELMVHT, *Helmſt.* totam illum furto ablatorum FRIDERICI PLACIDI filiorum, caussam exponet, germani.

GE. FRID. SIVRG *Regio - Lutteranus*, Cancellarium Septemvirialloquente faciet KVNZIVM A KAVF FVNGEN, ad supplicium tum temporis ducendum. Orat. vernac. denique

CHRISTI. IO. SVLAV, qui Londino nuper meliorrem nobis secum spem attulit, carmine germ. D E I præpotentis, qui maximus in minimis cernitur, laudes, demissa pietate cantabit.

Quos

Quos si, cui commodum est, audire benevolē voluerit, non ipsos modo, sed me etiam maximo sibi beneficio obstringet. Eos itaque, qui scholæ nostræ, atque adeo litteris nostris savent MAECENATES atque FAVORITES, quantacunque fieri potest, animi pietate atque observantia, vehementer rogatos volumus. Dab. Helm-

stadii a. d. XXIII. Sept. A. O. R. S.

M D C C I . I .



DD A 6427




WDA8

R



B.I.G.



4
D. PETRI MILLERI

TAD. RECTORIS ET COENOBII MA-
IENTHAL. SVB-PRIOR.

DE
E C H E T I C O
RIS ECCLESIAE
CENDI GENERE
P R O L V S I O

QVA
ONES ALIQVOT AVDIENDAS
IOS ET FAVTORES
TEST HONORIFICENTISSIME
INVITAT.



HELMSTADII
T MICH. GÜNTHER LEVKART. CIIDCC LI.